DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS, DE DYSENTERIA:

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex auctoritate Reverendi admodum Viri,

GULIELMI ROBERTSON, S. S. T. P.

ACADEMIAE EDINBURGENAE PRAEFECTI;

NEC NON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI consensu,

Et Nobilissimae FACULTATIS MEDICAE decreto;

PRO GRADU DOCTORATUS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS ET PRIVILEGIIS RITE AC LEGITIME CONSEQUENDIS,

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT,

HUGO SHIELL, HIBERNUS.

Ad diem 20 Novembris, hora locoque solitis.

EDINBURGI:
APUD A. DONALDSON ET J. REID,
MDCCLXV.

VIRO EXIMIO,

JOHANNI KNOX

DE COTTLESTOWN,

ARMIGERO,

IN CONVENTU PUBLICO HIBERNIÆ

SENATORI INTEGERRIMO,

MORUM ELEGANTIA ET BENEVOLENTIA

INSIGNI,

PATRONO SUO LIBERALISSIMO,

OB INNUMERA IN SE COLLATA BENEFICIA:

HANCCE DISSERTATIONEM,

STUDIORUM SUORUM PRIMITIAS,

EO OBSEQUIO ET OBSERVANTIA QUO PAR EST,

CONSECRAT,

EI DEVINCTISSIMUS,

HUGO SHIELL.

DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS, DE DYSENTERIA.

DEFINITIO.

DYSENTERIA, ab omnibus antiquis pariter et recentioribus medicis tractata, vixdum ſatis recte definita videtur.

QUAMOBREM aliorum definitiones exponere, eaſque parum accuratas eſſe monſtrare, deinde propriam, et, ut ſpero, aptiorem adjicere inſtitui.

MAGNUS HIPPOCRATES, qui dyſenteriam quidem non definivit, haud recte eam deſcripſiſſe videtur. Illius haec ſunt verba, Δυσεντεριὴ ανευ οδυνης *.

* Epidem. 2. ſect. vi.

POST eum GALENUS his verbis definit: Δυσεντερια εστιν ελκωσις εντερων, μετα φλεγμονης και αποκρισεως, αιματωδων ἢ τρυγωδων ηγε και απολυματων, μετα τε δακνεσθαι, και αλγειν την κοιλιαν και τα εντερα *.

HANC definitionem ARETAEUS † et ALEXANDER TRALLIANUS ‡ secuti sunt. Quibus multi alii, quorum in numero sunt PAULUS ÆGINETA ||, CAELIUS AURELIANUS **, et NIC. PISO †† assentiunt. Hujus verba haec sunt: "Dysenteria proprie "dicta ulceratio est intestinorum, dejectiones "ramentosas et dolorificas inducens."

AB his omnibus, intestinorum exulceratio constans nota esse dicitur; sed immerito, ut mihi videtur: nam etiamsi intestina saepe in dysenteria exulcerari fatendum est; tamen non semper id fieri, cadavera hoc morbo jugulatorum explorata ostendunt. Idem, quae-

* In definit. med. p. 263.
† Chron. pass. ii. cap. ix.
‡ Lib. x. cap. i.
|| Lib. iii. cap. xlii.
** Lib. iv. cap. vi.
†† De cognos. et curand. morb. lib. iii. cap. xv.

dam

dam a BARTHOLINO *, BARBETTO †, et MORGAGNIO ‡ memorata, confirmant; verum esto exulcerationem semper in dysenteria esse, tamen cum a morbo oriatur, non una cum hoc nascatur, certe ad definitionem minime pertinet. Huc postremo accedit, quod intestina exulcerari etiam ab aliis morbis possunt.

IIDEM viri, tormina, tenesmum, sanguine distinctum stercus, cum strigmentis, in definitionibus suis memorant.

QUORUM tria priora, licet perpetua in dysenteria sint, non ad certam morbi cognitionem utique ducunt; siquidem experientia quotidiana, omnia ea dysenteriae cum diarrhoea communia esse, ostendit. Strigmenta vero quae nunquam, nisi morbo multum provecto, apparent, a definitione ideo aliena sunt.

HARUM definitionum posteriorem partem, alii multi ex recentioribus sequuntur, et inge-

* Cent. vi. histor. 2.

† Lib. iv. cap. 3.

‡ De causis et sedib. morb. epist. 31.

niosus AKENSIDIUS sibi his verbis accommodat: " Qui graviora patitur ventris tormina, " simul cum frequenti desidendi cupiditate, " et cum dejectionibus sanguineis vel mucosis, eum hominem dysenteria laborare, omnes medici consentiunt *." Tormina et tenesmum communia cum diarrhoea esse, dictum est. Sed eadem saepe etiam in ea aeque saeviunt ac in dysenteria; maxime si diarrhoeam medicamentum vehementer purgans, ut colocynthis aut scammonium, fecerit; addendumque est, morbos male inter se distingui, eorundem signorum majori aut minori vehementia.

POST haec febris ad morbi definitionem accessit. ZWINGERIUS † primus febrem memoravit; quem deinde praeclarissimi scriptores HOFFMANNUS ‡, SYDENHAMUS ||, PRINGLIUS ⸸, et alii plurimi secuti sunt. Verum enimvero haec nota a diarrhoea haud aliena est. Diarrhoeam enim, si gravis est,

* Vide Com. de dysent. p. 1.

† Theatr. prax. p. 342.

‡ Tom vi. p. 283.

|| Sydenh. oper. cap. 3.

⸸ Pringle's observ. on the diseases of the army. p. 225.

febrilia

febrilia mala, ut pulſum crebriorem, calorem auctum ſitimque concitare, quis neſcit? Nec deſunt caſus, ubi horror diarrhoeam praecedens, febrem per totum morbi curſum, deinde reliquit *. Videmus ergo, ne febrem quidem certum ſatis dyſenteriae diſcrimen dare; et aliud ſignum certius, quo a diarrhoea internoſcatur, quaerendum eſſe; atque ſane unum mihi datum tale videtur, quo certiſſime ſciri morbus queat, ſcilicet contagio. Certe hanc notam diarrhoeae nemo attribuit. Contagioſam autem dyſenteriam eſſe, non argumentis hic probandum eſt; ſiquidem graviſſimi auctores uno ore de hac re conſentiunt. Mirum certe eſt, quod nemo hoc, quaſi certiſſime dyſenteriam a diarrhoea diſſepiens, notaverit, praeter illuſtrem Degnerum, cujus verba referam. "Maxime notandum hic erit, dyſenteriam "veram eſſe adfectum ſpecialiſſimum, et "velut per excellentiam hoc nomine nuncupatum; illamque, ut jam alibi notavimus, ſemper eſſe malignam, contagioſam; utpote quod contagium attributum

* Hoff. oper. tom. 3. p. 315.

" essentiale et proprium, ac criterium inse-
" parabile est verae dysenteriae *."

EANDEM hanc opinionem longa argumentorum serie praeclarissimus praeceptor noster CULLENUS in praelectionibus suis clinicis jamdudum probavit.

QUAE igitur prae reliquis omnibus definitio mihi placuit, haec est: scilicet, dysenteriam contagiosum et epidemicum morbum esse, cum torminibus, tenesmo, febre, et crebris dejectionibus plerumque sanguine tinctis.

Historia Morbi.

DYSENTERIA plerumque, praecipite aestate, vel ineunte autumno, se ostendit, ad mensem Octobrem perstat; post quem deinde paulatim desinit.

PAUCIS ante diebus, quam morbus adveniat, lassitudo, leviores capitis et tergi dolores, cibi fastidium, interdum ructus, ven-

* Joan. Hartm. Degner. histor. dysent. biliof. contag. p. 48.

tris

tris cum murmure tumor, hominem tentant. Haec deinde, frigoris ſenſus et horror, excipiunt; quibus, calor auctus et pulſus arteriarum citatiores, mox ſuccedunt.

Nonnullorum capita quaſi vertigine circumagi videntur. Oculis tenebrae objiciuntur; quoſdam nauſea, vomendi cupiditas, et variarum ſordium, virideſcente, rubeſcente, aut flaveſcente colore, vomitus, male habet. Tandem alvum fuſam, tormina et teneſmus vel mox ſubſequuntur, vel illa utique paulo praecedunt; circaque umbilicum, alias paulo ſupra eum, alias infra, ſedent.

Per biduum primum, quae alvo redduntur, copioſa, et naturali ſtercori ſimilia ſunt. Poſt id et copia minuuntur, et aquoſa, limoſa, ſpumea, et ſanguine ſaepe imbuta, exprimuntur. Deſidenti homini teneſmus intolerabilis eſt, tormina magis ſaeviunt, et omnium viſcerum, quaſi deſcendentium, aegritudo ſentitur.

Si febris gravior eſt; cutis areſcit, ſitis ingraveſcit, lingua albeſcente viſcido muco obducitur;

obducitur; vigilia oritur, ſtranguria et urinae ſuppreſſio, et cum ventriculi morſu, circa praecordia gravitas deprimens, hominem exercent.

Post paucorum dierum moram, nonnunquam idoneis remediis morbi curſus ſiſtitur: moleſtiae omnes paulatim decedunt; alvus rarius ſolvitur; tormina et teneſmus minus urgent; alvo reddita naturalis ſtercoris figurae ſimiliora, et ſine ſanguine, apparent. Febrilia mala tolluntur, cibi deſiderium et ſomnus redeunt.

Saepe tamen morbus, fruſtra adhibitis omnibus remediis, diu ſaevire pergit; atque etiam miſerum haud raro e medio tollit. Hic dejectiones longe crebriores fiunt; tormina ab umbilico ad imum ventrem, paulo ſupra os, quod pubis dicitur, eamque tergi partem, quae coli flexibus contraria eſt, migrant; ibique immota ſedentia, tam immanes dolores concitant, ut largus ſudor atque etiam animi defectus ſequantur.

Alvus varia, pro varia morbi ſaevitia, reddit.

reddit. Eadem quae limoſa, et ſanguine tantum diſtincta, apparuerant, eo ſaepe violentiae nunc procedunt, ut purus ſanguis magna copia profundatur ; aut ſpumeum ulceroſum aliquid, aquae turbidae, in qua caro abluta eſt, haud diſſimile ; aut virideſcens vel aeruginoſum quiddam prorumpat. Aliquando caſeo aut carni ſimilia quaedam, glandularum vel caruncularum inſtar ; ſtercus duratum ; veſiculae parvulae, putente et male olente liquore quodam, plenae ; interioris inteſtinorum tunicae fruſtula, vel mucus haec imitans, ſanguine aut purulenta materie mixta, hoc tempore excreta ſunt. Quin et rectum ipſum modo deſcendit, modo adeo arcte conſtringitur, ut nihil intus recipiat.

Quod ſi ſtranguria et urinae ſuppreſſio non ante fuerunt, nunc adeſſe ſolent ; et urina, ſi quando redditur, alto colore exit, et craſſiſſimum ſedimentum ad imum vas demittit. Vigilat etiam magis homo, et circa praecordia gravitatem prementem magis ſentit. Lingua et dentes nigra immunditie obducuntur ; ad haec aphthae cum gut-

turis inflammatione ita accedunt, ut aegre vel non omnino homo deglutire poſſit. Singultus quoque aliquando torquet.

JAM robur totum conſumptum eſt; animi deprimuntur; vultus animi maeſtitiam prae ſe fert; oculi caligant, cavi foedique videntur. Sitis dolorque ſubito evaneſcunt. Alvus intus contenta, neſciente homine, reddit. Eadem purulenta et ichoroſa, odore cadaveroſo, et non tolerabili, exiſtunt. Vacillant et intermittunt arteriarum pulſus. Extrema frigeſcunt; frigidus ſudor, intus magno calore ſentito, diffluit. Poſtremo, tantis aerumnis homo morte liberatur.

MORBI adventum et curſum, quam juſtiſſimo potui ordine, expoſui; ſignorum ſeriem maxime communem deſcripſi. Verum ubi aliquis ſolito in morbum pronior eſt, cauſaeque occaſionales potentiores concurrunt, in ipſo etiam initio omnia ſaeviunt, et intra breve tempus aegrotantem frequenter jugulant.

ALIA ſymptomata ſunt, quae, quia et raro

ro incidunt, et nullam temporis rationem ſervant, ante omiſſa, hic loci memoranda videntur.

Stercus, vel ſtercori ſimillimum, et ſpecie et odore, quiddam, diverſis morbi temporibus, vomitu rejectum eſt. Lumbrici rotundi ſupra et infra exierunt.

Exanthemata varia, incertis temporibus, per cutem aliquando effloruerunt. Degnerus puellae ingenuae corpus, nigris maculis, et tuberculis nigris et duris, caruncularum peſtilentialium inſtar, coopertum eſſe, et partes affectas primum mortuas eſſe, deinde puellam periiſſe, teſtatur.

Tendinum ſubſultus convulſioneſve rariſſime in hoc morbo apparent.

In inciſis cadaveribus obſervata.

Expositis jam ſignis quae in dyſenteria ſe oſtendunt, haud a propoſito erit alienum, quaedam in cadaveribus inciſis ob-

ſervata adjicere; idque quam breviſſime abſolvam.

Etiamsi ventriculus, jecur, et pleraque abdominis viſcerum una patiuntur, tamen, quia inteſtina morbi ſedes ſunt, quae in iis obſervata ſunt, fere ſolum attingam.

Discisso dyſenteria peremptorum abdomine, in conſpectum data tunica inteſtinorum, praeter conſuetudinem craſſa, et diverſa ſpecie, pro morbi diverſa natura, et modo rubeſcere, modo liventibus maculis diſtingui, modo nigreſcere et putere, extrinſecus plerumque apparet. Eadem cultro aperta, intus muco naturali privata, ſemper animadvertuntur.

Tunica villoſa perquam tenera et imbecilla reperitur; vel fruſtula inde abraſa, et in aliquid corruptum et limoſum, putente odore, vireſcente vel ſubnigro colore, converſa, inveniuntur. Interdum copia ſanguinis deprehenditur. Quae omnia inflammationis ſigna, cum exulceratione et quarundem partium morte, in amplioribus inteſtinis

frequentiſſime,

frequentiſſime, in tenuioribus aut ventriculo rarius, animadvertuntur.

In utriſque his, magna aëris copia vulgo gignitur; convolutioneſque tenuium inteſtinorum, membranis, praeter naturam natis, aliquando connectuntur.

Quaedam nuper, nunquam antea animadverſa, detecta ſunt. Clarus Bakerus parvos quoſdam proceſſus, ſeu tuberculos, in caeco colo, et ſuperiore recti tractu, ſine cavo, ullo, alboque colore, et duodecima digiti parte eminentes, primus aperte memoravit *. Sed et celeberrimus Cleghornus, qui duros tuberculos, in multis coli locis carum arctantes ſeſe vidiſſe ait, eoſdem mihi, quos Bakerus ſignificaſſe videtur †.

Ingeniosus Monroius, in cadavere quodam, inteſtina mortua, et veſiculas parvas, putente maleque olente liquore plenas, deprehendit ‡.

* Baker de dyſenteria Londinenſi, p. 38. & ſeq.

† Cleghorn's obſerv. on the diſeaſes of Minorca, p. 227.

‡ Monro on the diſeaſes of the army, p. 65.

Haec

Haec fere in inteſtinis obſervantur. Reliqua abdominis viſcera plerumque non multum afficiuntur. Interdum tamen lien et hepar praeter naturam ampliantur, et inflammantur. Et in iiſdem quoque abſceſſus aliquando fiunt.

Mesenterium plerumque multum tabeſcit, aliquando exulceratur et moritur. Ejuſdem adeps frequenter virideſcente vel nigreſcente colore conſpicitur.

Peritonaeum nonnunquam inflammatur et exulceratur.

Vesica fellea ampliatur, ejuſque bilis varia admodum et incerta conſpecta eſt; ſed plerumque tenacior, craſſior, et nigra, raro in naturali ſtatu, exploratur. Veſica eadem alias vacua, alias liquore quodam, ſimillima chylo ſpecie, perſpecta eſt; poſtremo urinae veſica, propter recti vicinitatem, multum patitur.

His obſervationibus alienis, * quaedam

* A Boneto, Morgagnio, Pringlio, Bakero, Monroio, aliiſque cl. ſcriptoribus, aſſumptis.

a me ſuperiore anno, in noſocomio Regio Edinenſi, cadavere inciſo, obſervata adjiciam.

Maria Robertsonia a matre dyſenteria infecta, quinque dies ante aegrotaverat quam noſocomio accepta eſt. Ubi vel ſeptimo poſt die, vel morbi duodecimo, nonnullis rhaei et calomelanos bolis, et parvis ipecacoanhae portionibus, cum multis aliis remediis fruſtra tentatis, deceſſit.

Abdomine diſciſſo, et inteſtinis obiter inſpectis, nihil praeter ſolitum apparebat. Iiſdem excuſſis et perſpectis, recti otius, ſicut et coli maximae partis, color xternus vel liveſcens vel purpureus et niger idebatur. Recti abſciſſi, octo digitorum patium in longitudinem, inciſum eſt. Per res a ſphinctere digitos, nonnullae intus artes multum inflammatae, aliae gangrenoſae pparebant. Reliqua recti, et maxima coli ars quoque interior, magno tuberculorum uriorum et nigreſcentium numero, conſita nimadvertebantur.

A medio fere coli, iidem pauciores numero erant, inteſtinumque minus gangrenoſum.

In ilio circiter ſeptem vel octo digitos a coli capite, tuberculi inter ſe multum diſtare, et albeſcente colore eſſe, cum parva hujus inteſtini inflammatione, cernebantur.

Circa ſummum recti et coli imum, ubi mors partis maxima erat, inteſtinum, per omnes ejus tunicas, facile, et in omnes partes, dilacerabatur. Eaque inteſtinorum pars, cum qua meſenterium et meſocolon conjunguntur, per totum ſpatium, quod laeſum erat, pejus ſe, quam reliquae, habere conſpiciebatur.

In ſuperiore coli tractu, ubi tuberculi rarius oculis occurrebant, multa loca leviter eroſa animadvertebantur. Etiam ſuperius in colo et in initio ilii, ubi omnia haec etiam oſtendebantur, nihil erat eroſum, ſed rubras maculas paſſim conſpicabamur. Reliqua omnia abdominis viſcera prorſus ſana videbantur.

Cauſae

Causae remotae.

QUAMVIS dysenteriae natura est, per populos grassari, contagione turbas arripere, nec ulli hominum generi parcere; tamen quaedam corpora, ob propriam quandam iis conditionem, magis quam alia, ei patent. Haec conditio in humorum putredine et partium firmarum resolutione consistit. Itaque omnia quae haec faciunt, pro causis remotis habenda sunt. Quorum praecipua est AER CALIDUS. Calorem enim, ut corpora putrescant facere, ab omnibus concessum est. Hic, quomodo calor haec efficiat, non est dicendum. Satis enim est ad rem, de qua mihi agendum est, calore revera putredinem oriri, ostendere. Hoc in cadaveribus calor manifesto quotidieque efficit. Porro caloris corpora rarefaciendi, ideoque relaxandi, vis maxima est; qua vero ratione sic quoque putredinem adjuvare possit, alibi explicabitur.

Humidus aër, ſemper nec immerito, putredinis humorum adjutrix, ideoque hujus morbi remota cauſa, exiſtimatus eſt. Humiditas, ut nemo non novit, reſolvit itaque debilitat firma corporum; quo fit, ut officiis ſuis fungendis parum habilia reddantur; unde neceſſe eſt, ut omnes ſecretiones et excretiones, maxime perſpiratio, impediantur. Porro partes caloris vi putentes et nocentes libere exire prohibet, ideoque paulatim omnes humores neceſſario fermentant et aſſimilant; vel humiditas idem efficere poteſt, foramina cutis occludendo, aëra ſaturando, et hanc materiem, per pulmones, aut ſummum corpus, perſpiratam, accipere prohibendo.

Si igitur caloris et humoris vires ſeorſim perpendamus, eas conjunctas, dyſenteriae homines multum patefacere, manifeſtum erit.

Paludes, qui magni humoris fontes ſunt, cauſis morbi remotis annumerandi ſunt. Aquam, vaporis plus aut minus, prout major minorve ejus ſuperficies aëri patet, emittere

chemia

chemia docet. Unde ſequitur, aquam in locis paluſtribus inaequaliter ſtagnantem, plures vapores exhalare, quam eandem ejus copiam, aequali ſuperficie expoſitam.

Idem hoc, in Ægypto inferiori, Nilus oſtendit; quo inundante, et totos agros aquae altitudine obruente, et aequali undique ſumma parte aëri patente, accolae ſecunda valetudine fruuntur. Eodem vero iterum in alvum ſuum relabente, et paludis quoddam genus, cujus ſumma pars inaequaliſſima eſt, repraeſentante, magna vaporis copia, pro aucta ſumma aquae fronte, undique circa exhalatur, unde fere cum peſtes, tum alii morbi putridi naſcuntur.

Sed paludes alia ratione etiam plus periculi, tam dyſenteriae, quam unius cujuſque vitii putreſcentis, adferunt; ſiquidem cum animalium, tum herbarum variarum putentium, varii inde halitus ad ſuperum aëra feruntur; quin et ipſa aqua ut puteat, et ſimiles vapores emittat, neceſſe eſt; quas omnes vapores fermentare, et humanorum

corporum humores in ſuam naturam convertere, manifeſtum eſt.

Porro ſylvis vicina loca a dyſenteria magis, quam alia, infeſtari obſervata ſunt. Humiditati enim magis patent; quae humiditas, partim a plantarum et ſimilium rerum perſpiratione; multoque magis ex ſuperficiei per quam arbores et harum rami ac folia, rores et pluvias aëri patefaciunt, amplitudine oritur. Huc accedit, quod vapores plantarum et foliorum lapſorum putredine naſcuntur; et aër arboribus concluſus, et liberiore intercluſus, ſtagnando vitiatur.

Victus pravus, ut nimia caro cujuſlibet generis, ſalita, et ea maxime, quae jam putreſcere inceperit, aqua putens aut corrupta, humores putrefaciendo, huic morbo patefacere poſſunt, id quod ſcorbutus toties in alto mari navigantibus accidens oſtendit.

Postremo ſenes, mulieres, dyſenteriae patent, magis quam adoleſcentes, aut juvenes robuſti et viribus valentes; ſcorbutici vero omnium maxime. Cujus rei rationem ſupra monſtrata explanant.

Cauſae

Causae Occasionales.

MULTAE hujus morbi causae apud scriptores inveniuntur, quorum hae solae memorandae videntur.

I. Fructus horaei.
II. Bilis acris.
III. Impedita perspiratio.
IV. Contagio.
V. Vapores putentes.
VI. Animi perturbationes.

DE his omnibus, pauca ordine dicenda sunt.

I. *Fructus horaei.*

FRUCTUS olim habiti sunt, et nunc etiam hujus morbi causae (a nonnullis) habentur; sed, ut mihi videtur, falso. Etenim fructuum putredini resistendi nota potentia, hanc opinionem non credibilem reddit. Contra eos occurrere ex putredine ortis morbis, et succurrere posse, verisimilius est. Requevera testimonia quaedam gravissimorum virorum hoc confirmant.

ALEXANDER

Alexander Trallianus * de dysenteria agens, eos, ait, qui uvis et aliis fructibus libere vescuntur, dysenteria mox affectos, mire convalescere. Quod dictum, nonnulli ex recentioribus scriptoribus, praecipue Bakerus †, firmant. Ille autem liberrime fructibus vescentes, vulgo a dysenteria liberos fuisse, vel si quando in eam inciderant, facile curatos esse, testatur.

Tissotius ‡ adeo fructus non dysenteriae causas arbitratus est, ut eos praesidia ejus esse, ad credendum experientia impulsus sit. Et plurima enumerat, in quibus fructuum usus, morbum jam apparentem lenissimum reddidit. Haec vero ejus observatio memoria imprimis digna est. Ex undecim enim hominibus dysenteria laborantibus, novem, qui fructuum haud parcam copiam devoraverant, convaluisse; reliquos duos qui abstinuerant periisse, et plurima similia fide dignissima, narrat. Postremo longa experientia docuit, iis

* Lib. viii. p. 458.

† Baker com. p. 24.

‡ Avis au peuple sur la santé, § 320.

temporibus

temporibus minime morbum ſe oſtendere, quae maximam copiam fructuum ſuppeditant.

Pringlius fructibus, praeter fraga, ad quae militibus aditus nullus erat, nondum maturis, caſtra in Germania dyſenteriam invaſiſſe, et circa tempus, quo uvae maturabant, quibuſque omnes liberrime uſi ſunt, deſiiſſe, memorat. Nonne igitur tot clarorum virorum teſtimonia, fructus abſolvere criminis dyſenteriae faciendae, debent? Scriptores dyſenteriae cauſam fructus eo credidiſſe videntur, quod eam a diarrhoea, quam fructus facere manifeſtum eſt, parum internoverunt.

II. *Bilis acris.*

Bilis ardoribus aeſtivis vitiata, et inteſtina male habens, frequens dyſenteriae cauſa eſt. Hanc opinionem omnium medicorum priorum ſolus doctus Pringlius nuper refellere conatus eſt. Illius argumenta, praecipue inciſis cadaveribus, nituntur; ſed mihi parum momenti habere videntur. Si bilis hujus morbi cauſa eſſet, hepar et tenuia inteſtina magis affectum iri, ipſamque bilem concolorem

lorem magis, et aequabiliore craſſitie vel tenuitate fore, contendit.

Ego tenuia inteſtina minus ſaepe affici arbitror, quod eorum tunicae, chyli et aliorum liquorum copia ibi abundante, et vim bilis miſcendo, frangente, magis defendantur. Contra, quia eadem diutius in amplioribus moratur; et horum calore multo acrior redditur, et minori liquorum copia diluitur, ideo ea magis laborant.

Cum vero hepar parum affectum dicatur, id nullam vim adfert; ſiquidem mutationem bilis non ab affecto hepate, ſed ab actione caloris oriri prorſus, probandum eſt.

Quod denique bilem debere magis concolorem, et ſimili ſemper facie eſſe contendatur; ſatis ad noſtram rem eſt, ſi bilis in omnibus cadaveribus explorata, in ſtatu parum naturali fere ſemper deprehenſa eſt. Quae omnia bilem quoque in hoc morbo nocere, etiamſi varia ejus facies ſit, oſtendunt, ſed et haec ipſa bilis varietas a variis morbi temporibus pendere videtur.

Postremo

Postremo maximum huic opinioni pondus addit, quod, quo tempore dyſenteria graſſari ſolet, eo multi morbi bilioſi, quales ſunt febres bilioſae et alii ſimiles, comitantur.

III. *Impedita perſpiratio.*

Tempore anni, quo dyſenteria viget, dies calidiſſimi et inaequales, noctes frigidiſſimae ſunt. Ergo corpus ante calefactum, ſubito frigore exceptum, morbi cauſa eſſe poteſt in eo, qui jam ante ei patuerat. Siquidem particulae putentes, corpore exire prohibitae, intus ſubſiſtunt, et humores fermentant et aſſimilant, moxque in inteſtina convertuntur.

IV. *Contagio.*

Contagio omnium aliarum frequentiſſima cauſa dyſenteriae eſt. Nam tametſi à ſupra memoratis cauſis et fieri poteſt, et initio ſemper fit; tamen cum multis jam communis facta ſit, ut Pringlius teſtatur, quinquageni contagione infecti, ubi ſinguli ab aliis cauſis commoti, patiuntur *. Contagionis efficacia ad dyſenteriam gignendam

* Obſerv. on the diſeaſes of the army, p. 263.

dubitanda non eſt, innumerabilibus rebus fidem facientibus. Scimus enim morbum ſaepe acceptum, deſidente aliquo ibi, ubi dyſentericus deſiderat: nihilque tantopere eum, quantopere ſtercus eo laborantium male contectum, per turbam caſtrenſem concitare.

Degnerus * eam dyſenteriam, de qua ille agit, ab uno adoleſcente, qui forte ad id loci morbo affectus venerat, acceptam eſſe, et proxime correptos virum et ancillam fuiſſe; qui ibidem, ubi ille ventrem mox levaverant, literis prodidit. Huc accedit, quod, ut medici obſervaverunt, nutrices aegrotantium, et mulieres, quae lineas eorum veſtes lavant, raro morbum effugiunt.

V. *Vapores putentes.*

Vapor a carnibus putreſcentibus veniens hunc morbum interdum facit. Pringlius † quendam in dyſenteriam veram incidiſſe ait, quia vapor ſanguinis aliquot menſes in phiala ſtagnando putrefacti, cum ſpiritu in corpus manaverat.

* Hiſt. dyſ. bil. contag. p. 96.

† Obſerv. on the diſeaſes of the army, p. 265.

ANATOMICI, cum cadavera calidis tempestatibus putrefacta incidissent, a dysenteria aliquando affecti sunt.

VI. *Animi perturbationes.*

ANIMI perturbationes, ut timor, terror, causis annumerantur; nec mirum esse debet eas morbum adjuvare, quae corpus tantopere debilitant. Etenim omnes fere scriptores, peste et aliis morbis contagiosis grassantibus, eos in summo periculo versari, qui in maximo morbi metu sunt, et difficillime convalescere, consentiunt.

Causa Proxima.

ACRE aliquid in intestina agens, dysenteriae causam proximam esse, inter omnes constat. Sed qualis sit ejus natura, parum convenit. Quam utique putrescentem esse probant, adventus morbi nunquam non iis anni temporibus, qui manifesto putredinem faciunt; decessusque iis, quae principiis ejusdem occurrunt; tum scorbutici, quorum humores putere certum est, potissimum ei

 patentes,

patentes, et difficillime convalescentes; stercus denique putens, aëris generatio, et intestinorum affectio; postremo morbus a vaporibus putridis factus, ut ante ostendimus, nullum dubitandi locum relinquit.

Haec putredo, ut modo dictum est, in corpore genita, vel contagione laborantis in intestina permanans, fermentationem, ac proinde irritationem, creat. Irritatio motum auget, et facit ut vasa intestinorum plus secernant, et secreta in similem naturam putridam mutentur, itaque perpetuum fermentum omnia turbet, et irritationem factam usque servet. Hinc inflammantur et exulcerantur intestina. Hac ratione pleraque morbi symptomata explicare licet.

Cum diutius jam morbus duraverit, putens materia absorberi, et corporis humores universos vitiare potest. Unde aphthae et alia exanthemata nascuntur. Humores vero vitiari, cum sanguis corpore emissus fluxilis, tum lac nutricum infantes inficiens, probant.

Brunerus hoc morbo laborantem mulierem, extincto infante, et nimia lactis copia pressam, mammis catulum admovisse; quo convulsionibus statim perempto, admotos duos alios eodem fato functos esse, memoriae prodidit *.

Prognosis.

Hunc morbum semper esse periculosum, maxime militibus, inter plerosque convenit. Alii periculum inde fere solum oriri, quod curatio parum matura nec idoneo tempore suscepta est, ideoque initia morbi nunquam negligenda esse, dicunt.

Verum tametsi minus saepe gravia fore omnia, si principium non neglectum sit, fatendum est, tamen ut Cleghornius testatur, ea morbi natura est, ut nulla ejus facies periculo careat; frustraque multarum rerum, efficacem ad salutem vim, jactari, tot miserorum pernicies doceat †.

* Act. nat. cur. dec. 3. an. vi. p. 392.

† On the deseases of Minorca, p. 228.

Nostri

NOSTRI morbi praesagium clarius erit, si non omnia per saturam complectamur, sed rerum, in communia capita redactarum, certam divisionem sequamur; quae divisio triplex erit.

PRIMA, aetatem et habitum aegrotantium;

ALTERA anni tempora;

POSTREMA, numerum et vim signorum, respicient.

QUOD igitur ad primam partem attinet, imbecilliora et solutiora corpora, qualia sunt puerorum, mulierum, et senum, maxime dysenteriae patere, jam ante dictum est; nunc vero eadem, in majori quoque quam reliqua versari periculo, dicendum est *. Praeter hos scorbutici et cachectici †, et omnes, quorum habitus et robur, aliis prioribus malis, praecipue lue venerea, afflicti sunt ‡, exitium metuere debent. Biliosam febrem dysenteria excipiens plerumque; cum febre vero carcerum, fere semper est lethalis ||.

* Sennert. lib. 3. p. 243.

† Hoff. oper. tom. 3. p. 135.

‡ Degner. hist. dys. bil. p. 29.

|| Observ. on the diseases of the army, p. 235.

Omnis morbus acutus periculo plenus eſt mulieribus gravidis, quod dictum magni Hippocratis his verbis teſtimonium firmare videtur. Γυναικι εν γαςρι εχȣση, απο τινος των οξεων νουσεματον, λεφθηναι, θανισμον *. Contra eae quae jam pepererunt, nec dum ex pariendi labore convaluerunt, raro periclitari inveniuntur †.

Postremo, in hac parte, mitiorem nutricibus et hyſtericis quam aliis dyſenteriam eſſe, addendum eſt ‡.

Tempus vero anni, quo prae ceteris, ut ante monſtratum eſt, dyſenteria viget, ſcilicet autumnus, ſummum quoque periculum et metum eventus adfert. Id quod Pringlius hoc teſtimonio firmat. "Quos dyſenteria ineunte aeſtate petit, ii facilius et certius convaleſcunt, quam qui, ſub hujus finem vel autumni initium, laborant ||." Poſt autumnales dies, morbus indies, ut ſupra explicatum eſt, miteſcit.

* Aph. ſect. 5. aph. xxx.

† Baglivi prax. med. p. 110.

‡ Kleinii interp. clin. p. 66.

|| Obſervat. on the diſeaſes of the army, p. 224.

Quod ad ultimam partem attinet, periculi plerumque rationem, pro febris ratione eſſe, obſervatum eſt. Scilicet quo graviora mala febrilia, ſitis, anxietas, vigilia, et alia ſunt, eo minus ſpei dari ſalutis *.

Nausea magna, vomituſque, incipiente morbo, a multis malum eventum ſignificare credita ſunt. Baglivius, omnes fere qui in initio multum nauſearunt et vomuerant, periiſſe animadvertit †.

Procedente morbo, ſanguis aliquando vomitu rejicitur, quod ſemper malum eſt. Stercori vero ſimile aut puri, et male olens aliquid, vomitu redditum, aliquam partem jam mortuam, et totius corporis mortem mox ſecuturam, denunciat ‡.

Quo crebrius reddit alvus, quo pejus olent reddita, et graviora tormina et teneſmus ſunt, eo metuendus magis finis eſt. Alvo reddita

* Junker. conſpect. med. p. 636.
† Bag. prax. med. p. 110.
‡ Deg. hiſt. dyſ. bil. cont. p. 23.

virideſcentia

viridescentia aut subnigra, cum pravo odore et carunculis mistis, apparentia, summum ostendere periculum HIPPOCRATES judicavit, Ην υπο δυσεντεριης εχομενῳ, σαρκες ὑποχωρησωσι θανασιμον *.

LIQUORES per alvum immissi, et statim rejecti, intestina paralysi affecta, et metuendum futurum, indicat †, cum omnis dolor desinit, et purulenta vel cadaverosa infra exit materia, frustis intestinorum commistis, exitium imminet ‡.

APHTHAE, gutturis inflammatio, deglutiendi difficultas, singultus ||, animus deficiens, oculorum caligo, iidem subsidentes, pulsus arteriarum intermittentes, frigidus sudor, extremorum artuum frigus, maculae nigrae et tuberculae maximae pone aures ⊥, convulsiones, et delirium, supremam horam venisse, nunciant. A re alienum non erit, quid pulsus significet, hoc in loco addere. Pulsus deficiens malam spem; intermittens, etiamsi

* Hippoc. aph. lib. iv. aph. xxvi.

† Hoff. oper. omn. tom. 3. p. 135.

‡ Deg. hist. biliof. contag. p. 26.

|| Hoc symptoma aliquando in ipso morbi initio sine periculo observatur.

⊥ Kleinii interp. clin. p. 66.

ad naturalem modum redeat, alteram intermiſſionem et mortem futuram, praedicat *.

Si, poſt aliquot dies, ſuperiora mala pauca vel nulla manent, et ea ipſa miteſcunt, ſi anxietas parva eſt, febrilia mala levantur, tormina et teneſmus minus multo torquent, quaeque alvo redduntur, indies ad naturalem figuram et faciem magis accedunt, et cibi deſiderium redit, omnia fauſta ad ſalutem tendunt. Hoc in ſtatu ſudor ſponte manans †, aërque infra emiſſus, ‡ ſpem futuri augent.

Hic morbus diuturnitate varius plerumque quatordecim dies manet, ſaepe tertio vel quarto ‖ jugulat: aliquando ad quadrageſimum uſque producitur ⸸.

* Deg. hiſt. dyſ. bilioſ. contag. p. 25.
† Deg. hiſt. dyſ. bilioſ. contag. p. 27.
‡ Baglivi prax. med. p. 110.
‖ Deg. hiſt. dyſ. bilioſ. contag. p. 19.
⸸ Hoff. oper. tom. 3. p. 135.

Medendi

Medendi Ratio.

HOC in morbo curatio ſextuplex eſt.

PRIMUM ſi quid inflammationis eſt, ea tollenda.

DEINDE acris materia et ſtercus duratum auferenda.

POST quod materies remanens corrigenda.

TUM humores ad ſummum corpus revocandi.

DENIQUE ſymptomata levanda.

POSTREMO juſtus inteſtinorum tonus reſtituendus.

PRIMA hujus diviſionis pars, ſanguinis certe detractionem poſtulat. Etenim ſi quis dyſenteriae comitem febrem eſſe, et, ut cadavera inciſa oſtendunt, inteſtina ſemper inflammari reſpiciat, is, ſanguine miſſo, praeſer-

tim plenis et robuſtis hominibus, opus eſſe, prorſus fatebitur; neque antiquiore opinione, et a nonnullis etiam hoc tempore probata, ſanguinem in dyſenteria detrahi vetante, morabitur. Verum cum putridae naturae ſit morbus, ſanguis aeque libere, ac inflammatorii morbi poſtulant, non eſt mittendus. Hoc remedium plerique hoc tempore probant; neque idem, complures antiquiores non ſua auctoritate confirmant. Quorum in numero ſunt, AMATUS LUISIANUS *, ALTIMARIUS †, BOTALLUS ‡, qui plures homines dyſenteria ita affectos, ut ſine ſanguine ſaepius detracto, fruſtra alia omnia auxilia fuerint, teſtantur. RIVERIUS, ſeptimo et octavo die, nonnullis ſanguinem ſuo juſſu proſpere adſumptum, ait ||. Poſtremo SYDENHAMUS ſeſe quendam, omnibus aliis medicamentis fruſtra adhibitis, ſola ſanguinis miſſione ſanaſſe, memoriae prodidit ⸸.

QUANTUM vero ſanguinis detrahi debeat,

* Cent. 2. obſerv. 48.

† De meden. corpor. hum. malis, cap. 74.

‡ Botall. op. cap. iv.

|| Cent. 2. obſerv. 64.

⸸ Sydenh. oper. p. 115.

vires et habitus aegrotantis, ſignorumque inflammationis vehementia, ſolum oſtendunt.

Raro plus ſemel vena ſecari debet. Et quamvis plerumque ſanguis in initiis morbi mittendus, tamen non ſemper, mihi videtur; ne nonnulli imbecilli admodum, iique in quibus inflammationis ſigna non ingraveſcunt, hac ratione laedantur.

Nulla re amplius, praeter refrigerantes potiones, injectiones, et fomentationes emollientes, in hoc morbo dari ſolitas, adverſus inflammationem opus eſt.

Ad materiem acrem et ſtercus duratum ejiciendum, ſupra et infra purgantia valent; ſed e magna medicamentorum a ſcriptoribus laudatorum copia, delectus difficilis eſt. Ex antimonio parata ſemper ob alias cauſas praecepta ſunt, et ad vomitum quoque excitandum adhibita.

Vitrum ceratum antimonii prae ceteris placuit. Sed, cum ob incertam, tum ob violentem ejus actionem, nunc ab omnibus fere omittitur; atque ab ipſo quidem Pring-

LIO, qui primus id commendavit *. Pro quo, et ille, et plerique alii, Ipecacuana utuntur. Sed Tartarus emeticus a quibusdam nuper laudatus, quia et vomitum movet, et post hunc alvum purgat, et praeterea nulla in re ipecacuanae inferior est, mihi potius videtur. Idem sat leniter semper agit, si portio aegrotantis viribus conveniens detur. Sed sive hoc sive illa placeat, actionem medicamenti chamæmeli infusum adjuvabit. Id omnibus aliis, ob putredini resistentem, et corpus roborantem vim, PRINGLIUS anteponit.

HOMO in initio, protinus post sanguinem detractum, et subinde per morbi cursum, vomere debet, si nauseat, aut si in ore ingratus sit sapor.

ALVUM purgantium delectus, aliis alia laudantibus, et laudata ab aliis damnantibus, nec solum non salutem, sed perniciem adferre, dictitantibus, difficillimus invenitur. Rad. rhei habita est, et etiam nunc, a multis viris magnis, efficax imprimis habetur.

PRINGLIUS, cum octava merc. dulcis parte,

* Medical Essays, vol. v. p. 162.

actionem

actionem ejus ſic efficaciorem et faciliorem reddi expertus, miſceri rheum praecipit *.

Degnerus idem non ſolum mirabiliter purgare, et quolibet morbi tempore tuto poſſe dari, ſed propria quadam vi praeditum eſſe, et dolores conſopiendi, ac corporis motus componendi, arbitratur, et ſine eo ſe morbi curationem nolle ſuſcipere addidit †.

Sed veriſimile eſt, nullam veram cauſam, has eximias proprietates ei tribuendi, eſſe; rheumque aliis multis alvum in hoc morbo purgantibus praeſtare, eo dubitandum eſt, quod Sydenhamus in dyſenteria quoque ſennam utiliter inculcavit ‡. Quin et proximo bello, cum medicis caſtrenſibus, rheum defuiſſet, ad jalapium confugerunt; quod aeque bene reſpondere experti ſunt. Degnerus rheum in tincturae formam parari cum aqua menthae, et ſalis tartari pauxillo, praecipit. Fierique poteſt, ut hac ratione

* Obſerv. on the diſeaſes of the army, p. 273.

† Hiſt. dyſ. bilioſ. contag. p. 142.

‡ Sydenh. oper. p. 183.

paratum,

paratum, aliis praeſtet, quippe quod nauſeam vel vomitum minus moveat.

Ut ut rheum ab his viris cleberrimis et aliis laudatur, tamen alii quoque ſunt, qui (et ut mihi videtur jure) actionem ejus perquam imbecillem et incertam eſſe, et dolores augendi periculum adferre credunt. Quam ob cauſam, mannam et ſalem Glauberi aqua ſolutos, quadam olei portione miſtos, pro eo nuper, inculcare feliciter coeperunt *, cumque ſumma horum virtus, ni fallor, ſit ſtercus duratum expellere, hoc medicamentum mihi maxime idoneum videtur, quippe quod vias lubricat, et forſan ſtercus duratum diſſolvat. Quo fiet, ut minus inteſtinorum tractus irritandi periculum, ſequatur.

Post alvi purgationem peractam, ad inteſtinorum motus ab ea excitatos componendos, lene opiatum detur.

Ad materiem acrem corrigendam, quoniam putentem eam eſſe demonſtravimus, antiſepti-

* Vide an account of the diſeaſes of the army in Germany, by Dr Monro, p. 70.

ca, et prae ceteris cortex Peruvianus, valerent. Sed, ullo inflammationis ſigno adhuc ſuperſtite, ne adminiſtrentur.

POTIONES mucilaginoſae, quales ſunt ex gummi Arabico et Tragacantho, adhibeantur. Aqua, in qua oryza decocta eſt, quae blanda et mulcente natura eſt, prodeſt. Et quia eadem natura eſt, ſerum lactis quoque convenit. Hoc olim in magno honore fuit. BAGLIVIUS plures ſe ſolo eo adhibito ſanaſſe, et vim ejuſdem nonnullos arcanam habuiſſe, memoravit *.

Ex cera parata diu laudata ſunt. Nonnulli eam liquoribus ſpirituoſis diffundi praecipiunt, ſed ſic paratae cerae vix credendum eſt. Hoc a PRINGLIO commendatum gratius et efficacius eſt.

Recipe Cerae flavae raſ. dr. i. et ſemiſ.
Sapon. Hiſpan. dur. raſ. ſcrup. i.
Aquae fontanae dr. i.

LIQUESCANT leni igne, aſſidue agitando, donec in unum coeant, dein effundatur liquor in mortarium marmoreum, ſenſim admiſcendo

* Bag. prax. med. p. 110.

Aquae ſont. unc. vii.
— e nuc. moſch. unc. i. ut f. emulſio.

Hanc emulſionem in certas portiones ita dividi, ut diverſis temporibus, diei unius ſpatio totus perpotetur, monet *.

Si hanc homo potionem faſtidit, lacte ceram, ut Diemerbroeckio placet, diffuſam accipiat †.

Degnerus mucilaginem, vel gelatinam quandam, ex radice Salab confectam, haud modicis laudibus effert; eamque, cum, ut potionibus oleoſis uti perſeverarent, aegrotantibus perſuadere nequiret, et gratam et efficacem medicinam fuiſſe, teſtatur ‡. Hanc plantam, quae parum adhuc nota videtur, ſcire cupientes, ad ipſum Degnerum relego ‖. Liquores ſimiliter mulcente natura, per alvum proſpere immittuntur.

* Pringle's obſerv. on the diſeaſes of the army, p. 283.
† Obſerv. et cur. medic. obſ. 27.
‡ Hiſt. dyſen. contag. bilioſ. p. 169.
‖ Vide locum citatum.

Quod

Quod ad humores ad ſummum corpus revocandum attinet, Vitrum ceratum antimonii, quod diu in dyſenteria laudatum diximus, quanquam pro vomitum excitante dari conſuevit; tamen etiam plus prodeſſe, ſudorem movendo, creditum eſt; ſed, ob eandem cauſam, qua pro emetico, pro ſudorem movente quoque, repudiatum eſt; et in ejus locum ipecacuana ſubſtituta. Poſt quod, omnia ex antimonio parata in ſuſpicionem periculi, ex vehementi eorum actione, dyſentericis adferendi, inciderunt. Quo fit, ut tutiſſimo et potentiſſimo remedio ex antimonio parato, nempe Tartaro emetico, privemur. Verum incerta et periculoſa vitri cerati actio, non ex antimonii ulla proprietate oritur, ſed in ratione hoc parandi ſolum conſiſtit, id quod ſequentia evincent.

Vitrum ceratum in acidis ſolis ſolubile eſt; ob quam cauſam, in nonnullis ventriculis, ubi acidi portio minor eſt, propemodum quieſcere poteſt. Contra alii homini, cujus ventriculus acido abundet, eadem medicamenti copia data, vel eidem, alio tempore, maximas turbas excitare periclitatur. Praetera plerique morbis affecti, prout infirmiores fiunt, ita a-

 cido

cido in primis viis naſcenti magis patent; quo fieri poteſt, ut ea portio, quae incipiente morbo tuto data eſt, poſtea data hominem jugulet.

VITRUM ad ſubitam aut violentam ejus actionem prohibendam, cera incruſtari ſolet; itaque ſi ſatis incruſtatum non eſt, aut quocunque caſu cera elapſa eſt, actio ejus praeter ſpem medentis, ut violentior ſit, neceſſe eſt: nec fieri poteſt, ut duae ejuſdem portiones pariter incruſtatae reperiantur. Quocirca hanc antimonii formam ſemper periculoſam fore, fatendum eſt. Sed Tartarus emeticus ex antimonio quoque paratus, quemque vomitum bene excitare ſupra dictum eſt, exiguis portionibus datus, ad ſudorem eliciendum efficax eſt: nec huic idem incommodi objici, quod ſuperiori, poteſt; ſiquidem vel ſolutum ingeri, vel ſtomachi quovis liquore facile ſolvi, poteſt. Ipſe ſaepe ſummo id auxilio eſſe vidi. Quin et illuſtris CULLENUS, noſter praeceptor, ſaepe in uſu medendi, periculo ejus facto, magnam in eo ſpem locandam dicit. Idem, opio addito, ad cutem humores potenter derivat; nec obſtat quicquam,

quo

quo minus opium, quo per morbi curſum frequenter opus eſt, huic conjungatur.

LICET ipecacuana huic conſilio ſat bene aliquando reſpondet, tamen nunquam tam certo, quam tartarus emeticus, agit. Quod praeterea hoc commodi habet, ut vino aquave ita ſolutus dari queat, ut guſtu ſit gratiſſimum, qua re quid commodius eſſe poteſt, ubi danda ſaepe aliqua medicina eſt? Contra ipecacuana adeo ingrata eſt, ut paucis, ut eo uti perſeverent, poſſit perſuaderi. Tartaro emetico ſolum hic opus eſt; omnia calefacientia hunc in finem vitentur.

QUINTA pars noſtrae diviſionis fuit, affectiones ſaevientes lenire. Itaque tormina et teneſmus ſummam curam noſtram vindicant.

TORMINA non ſolum per ſe moleſtiae et dolori ſunt, verum etiam morbum multum augent. Ea, niſi gravia ſint, mollientibus fomentis, liquoris ſpirituoſi paullulo adjecto, multum levantur. Liquores eadem natura, qualia oleum lini, pinguis ovinae juſcula, amyli decoctum, per anum immittantur. Sed ſummum in opiatis praeſidium eſt, quae rectius per anum, ut protinus ad partem laborantem

laborantem perveniant, quoque immittuntur. Quod ſi fit, eodem tempore, ne eadem ore ingerantur.

Pringelius chamaemelum infuſum frequentius hauſtum utiliſſimum reperit.

Si dolores certa parte ſedent, et his parum moventur; veſicatorium vel emplaſtrum, cum quarta veſicatorii parte, ſupra locum dolentem impoſitum, aliquando profuit. Pringelius hoc ſuadet; ſed quomodo hoc poſſit prodeſſe, difficile dictu eſt. Forſitan aliqua materia elicita, prodeſſe crederetur, niſi emplaſtrum, quarta veſicatorii parte adjuncta, idem efficeret.

Tenesmus eodem modo vulgo levatur, quem ſi ſtercus durum uſque tranſiens aut fecit, aut factum auxit, medicina, manna cum ſale Glauberi infra purgans, cujus ſupra mentio facta eſt, eum feliciter ſolvet. Quod ſi ne haec quidem medicina ſemel aut iterum data conſtantem teneſmum ſolvit, Rectum exulceratum eſſe, credendum eſt. Itaque modo memorati liquores dolorem componentes, et omnia mollientes, in auxilium vocentur. Nonnullis, Balſamus Locatelli, liquoriſve alvo immittendi,

immittendi, vel ore accipiendi, pars utilis esse videtur.

Si motus frequentiores, et irritatio ullius intestinorum partis, mortem minitantur, Cortex Peruvianus dari debet. Idem infra cum fructu immitti potest, neve protinus rursus redeat, opii aliquid adjiciatur.

Ingeniosus vir Johannes Hunterus primum hoc consilium secutus est, quatuor uncias fortis Corticis Peruviani decoctionis cum aliquot opii granis ea solutis, per anum immittendas, curavit. Etsi medicamentum maturius justo rediit, iterum idem donec ad sententiam aliqua ex parte res processisset, denuo tentavit *. Hoc remedii genus plerumque prodesse expertus est.

Idem, radicem tormentillae et corticem querci, opio adjecto, vix minus valere reperit.

Ubi morbus inveteravit, vires multum imminutae sunt, et aphthae jam apparent, solus cortex Peruvianus, adjecto radicis serpentariae aliquantulo, tentari, et tanta copia,

* Pringle's observ. on the diseases of the army, p. 286.

quantam

quantam ventriculus hominis ferre possit, dari debet. Hoc morbi tempore celeberrimi Professoris WHYTTII ratio ita nostro proposito convenit, ut ipsius verborum interpretatio hic omittenda non videatur. "In "pravo illo dysenteriae statu, cum in ore et "in primis viis aphthae mox appariturae "essent, vel jam etiam apparuissent, corti- "cem Peruvianum, jam ante iis, quae "movenda visa erunt, aut laborantes ferre "potuerant, purgatione infra, et supra, aut "sanguinis detractione, motis, feliciter dedi.

"DUABUS corticis libris, tres confectionis "japonicae drachmas vel unciae unius dimi- "dium addidi; cujus medicamenti bina "cochlearia in quaternas horas dari prae- "cepi, sine ulla alia medicina, praeter "laudani aliquantulum, somni petendi "tempore. Ejusdem usu cum alvus com- "pressa esset, rheum inculcavi. Post quod "corticis decoctum administrare perseveravi, "confectionis minus, aliquando nihil omni- "no adhibens *."

SI morbus diu duravit, tam corpus universum, quam intestinorum tractus necessario infirma redduntur.

* Pringle's observ. on the discases of the army, p. 285.

ERGO

Ergo quod ſexto loco promiſimus, ſcilicet inteſtinorum tonum reſtituere conari, proxime eſt tentandum.

Hic leniter adſtringentia et roborantia ſummam ſpem oſtendunt. Quorum numerus pene infinitus a ſcriptoribus, ſive ex plantarum ſive ex terra effoſſorum generibus, memoratus eſt. Ex plantarum genere ſunt lignum Campechenſe, et Cortex Simarubae. Hanc Degnerus, per totum morbi curſum, prodeſſe, et bilem, a qua morbum ortum credit, potenter corrigere * ait. Contra alii doctiſſimi medici, etiamſi eam optime aſtringere et roborare, fatentur; tamen in inflammationis ſtatu nocere experti ſunt †. Cortex Peruvianus ad curationem perficiendam maxime efficax eſt. Ante horum uſum ventriculum, vomendo, purgari convenit.

Cortice Coneſſi, praeclariſſimo noſtro praeceptore Monro patre teſte, quidam dyſenteria laborans, aliis omnibus remediis fruſtra adhibitis, ſanatus eſt ‡. Cortex caſcarillae olim magni habitus eſt.

* Deg. hiſt. dyſ. contag. bilioſ. p. 156.

† Pringle's obſerv. p. 292.

‡ Medical eſſays, vol. 3. art. 4.